DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

TOPOGRAPHIA MEDICA.

(12

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAEDAM DE

TOPOGRAPHIA MEDICA,

COMPLECTENS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS A. WISE,

Scotus;

CHIRURGUS.

On peut exiger beaucoup de celui, qui devient auteur pour acquerir de la gloire, ou par un motif d'interet. Mais celui qui n'ecrit que pour satisfaire a un devoir dont il ne peut se dispenser, a sans doute de grands droits a' l'indulgence de ses lecteurs.

La Bruyere.

———————— scientiae omnigenae et judicii, ordo fere maxima pars.

Gregory.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

AVUNCULO SUO,

GULIELMO CHALMERS, A. M.

MILITUM TRIBUNO,

&c. &c. &c.

ARTIUM LIBERALIUM QUAM MILITARIS

AEQUE PERITO;

OB BENEFICIA IN SE COLLATA,

OB AMOREM ERGA SE FERE PATERNUM

JUVENILIBUS ANNIS

PRAESTITUTUM;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS, QUALESCUNQUE SINT,

AMICITIAE

GRATIQUE ANIMI

PIGNUS

D. D. D.

AUCTOR.

PATRICIO NIMMO, M. D.

&c. &c. &c.

HOCCE OPUSCULUM EXIGUUM,

ANIMI HAUD IMMEMORIS

BENEFICIORUM IN EUM COLLATORUM,

TESTIMONIUM

OFFERT

SUMMA CUM OBSERVANTIA

AUCTOR.

Omnes res totius mundi, ex quibus sane morbi hominibus oriuntur, observare sciat.

Hipp. de Diaeta, Liber I.

Exactissimas regionum novi orbis historias, et historias naturae universales perficiunt; historiam vero regionis et patriae, cui vitam debent et sanguinem, nec investigant nec tenent. Trahimur peregrinis et exoticis; domestica vero et indigena despicimus.

Baglivi Praxeos Medicae, Lib. I. Cap. XV.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAEDAM DE

TOPOGRAPHIA MEDICA

COMPLECTENS.

PRÆFATIO.

QUANTI Topographia medica aestimanda sit, summi quidem auctores docuere. Tales vero citare vix necesse est cuicunque diversitates ejusdem morbi vel functionis sub diversis coeli plagis rite contemplanti; quae quidem diversitates nec explicandae nec curandae sunt, nisi coeli potestate intellectâ; id quod summam Topographi medici industriam semper occupat.

Quin et differentiarum quae diversis locis inter morbos alioquin similes apparent ratio, levioris videbitur momenti quam alia permulta commoda e Topographiâ accuratâ derivanda; his enim optimam prophylaxin, optimam quoque morbis medendi viam, inveniamus.

Hunc verò ad finem multum conferet idonea via, seu *methodus*, eas Topographiae investigandi partes, quae attentionem nostram ad res momenti gravioris ducant, nec iis diutius vel impensius quam opus sit, affigere tendant.

Tentaminis insequentis consilium est, *methodum* quasi tradere ad usum eorum qui hanc utilissimam medicinae partem culturi sint: rem quidem haud omnino novam, sed infra dignitatem suam neglectam usquedum clarissimus Eques, JACOBUS M'GREGOR, summum locum apud medicos Exercitus

Britannici attigisset. Materiam tria in capita diduximus.

I. Topographiam loci physicam comprehendit; montes, valles, paludes, sylvas caeteraque ad hominum valetudinem tuendam pertinentia indicans; cum natura animalium, vegetabilium, fossilium, ibidem inventorum, meteorologicisque coeli vicissitudinibus.

II. Secundum caput oppidana omnia, urbium magnitudinem, frequentiam, plateas, vias, carcerem, valetudinaria, operaria respicit; necnon varias cum his conjunctas res, oppidanorum ad valetudinem attinentes.

III. Tertio subjiciuntur incolarum mores ac instituta omnia, quae physicam eorundem conditionem, morbos, ac curationem illustrare videantur.

Quamvis autem in tentamine hujusmodi multa desideranda necessario erunt; praecepta nostra, quam maxime potuerimus, generalia concepimus, quoque planius intelligerentur, numero distinximus.

CAPUT I.

I. Topographiae Medicae finis est; ut omnes locorum conditiones quae corpus sanum afficere possint cognoscat, ipsos earundem effectus singulos exploret, viam qua isti aut tolli, aut resisti, aut leniri queant, inveniat.

II. Ad hoc propositum, regionis, urbis, valetudinarii, pagi, quem descripturi sumus Topographia a latitudine ac longitudine ejus incipere debet. Has sequatur aspectus regionis circumcirca delineatio perspicua, brevis tamen ut omnia ad morbi praesentiam absentiamve pertinentia exponat, qualia sunt, ut soli et mari pateat, hoc quanto elevatior sit, insula an continens (quale littoris spatium naturaque) qui fines, quae ab oppidis majoribus distantiae, aliaque. Commentario hujus, Tabula, seu *Mappa* loci adjecta, utilitatem mirifice augebit.

III. Nunc ad specialem Geographiam loci Physicam inde transeundum. In hac tradenda, *Montes* imprimis particulatim describendi sunt, sive locum considerandum sustineant, sive plus minus distent: figura, altitudo, longitudo, amplitudo: regio, tractus, subdivisiones, planities, anguli inter se intercepti: Convallium indoles, longa, flexuosa, profunda, angusta, ampla, praerupta, sicca, humida, fertilis, sterilis, umbrosa, aprica; situs quod ad valetudinaria, urbes, incolas, vicinos: *Sylvarum* eosdem montes vallesque contegentium indoles, arborum arbustorumque, altitudo, densitas; solum; flumina rivique iisdem descendentes, nivis quanta quamque diuturna copia: altitudinum diversarum calor thermometricus.

IV. Memoranda quoque sunt origines, tractus, flexus, anfractus, Fluviorum, Rivulorumque, maximè ut loca habitata respiciant vel situm describendum: necnon eorundem altitudo, aquarum copiae ac velocitates, mutationes e coeli vel anni vicissitudinibus, maris aestibus, diversis. Memorentur porro

talium Fluminum magnitudo, seu superficies, res quae ripas eorum alveumque componant, quales materias animales, vegetabiles, fossiles, aquae subsidentes relinquant, effectusque earum; quantum ad regionem fossis siccandam eadem flumina conferre queant, quantum ad commercium, quantum agriculturam. Nec alia quidem ratione aquarum fossarum, lacuum, paludum, aquaeductuum, copia et natura exponenda: dum inundationum torrentumve, eorum in homines, animalia et res alias temporis affectusque, mentio fit.

V. Fontium Salinorum, aut thermalium, locis describendis, vicinorum compositio, experimentis crebris, et accuratis, reperienda erit; expositis simul rebus, quibuscum, apud originem, misceantur, assimilentur, aut vi augeantur; effectibus simul pluviae, tempestatumve in eosdem: Addantur tandem vires fontium in corpore humano, sano, et morbis specialibus laborante, sive salubres, sive noxiae fuerint.

VI. His absolutis, *Soli* deinde universi descriptio adjicienda: maxime quod respicit eas ejus dotes, quae aut vegetationem plantarum singularum adjuvent, aut aquam in superficie retineant, aut altè absorbeant, aut alioversum transmittant; terrae demum siccitas, ac humiditas illa subterranea, quam in locis planissimis putei monstrant et metiuntur, considerari debent. *Agriculturae* quoque status exponendus erit, atque in eo proportiones pascui, arvi, sylvestris, agri; mutationibus quas humana in natura aspectu effecerit industria, fluviis derivatis, lacubus, paludibus, collibus sublatis, itineribus fossis, derivationibus adjectis; effectibusque eorum nequaquam omissis.

VII. Proximum est ut diversitates Formationum Terrae Geognosticarum, *primitivae, transitivae, secundariae,* vel planae, alluvialis, volcanicae, materiasque unde ibi constructae sint, indicemus: maximè calcaria, sulphurea, argillacea strata aut venas: quibus minimè negligenda metallica omnia

quae populum frequentiorem reddant, vel nova opificia, novaque vitae genera, per commercia vel opera in eum introducant. Praecipue vero ea quae in corpore pollent dicat topographus, colorem, odorem, saporem, speciem, nitorem, fracturam, pelluciditatem, notam, seu striam quam relinquant, tenacitatem, fragilitatem, contactum, pondus; qua ratione detegi queant, quos effectus improbos generent, quibus morbis utilia sint. *Petrefacta*, ut vocantur, omnia, colligi atque explorari assidue debent, ut quo genere fuerint, quomodo ad animalia ejusmodi hodie ibi habitantia se habeant, elucescat.

VIII. *Animalium* quidem regionem propositam habitantium census agendus est; terrestrium, aquaticorum, amphibiorum: quae regioni propria sint, quibusque proprietatibus insignia; quibus usibus commoda, quales carnes, lac, aliasve productiones praestent; eorumdem effectus, usus: Denique quae benefica virtute praedita,

aut morbos, aut insignem molestiam, aut mortem ipsam incolis afferant.

Nec animalium vero mala negligenda erunt; eorum signa, pathognomonica utique conquirenda et tradenda, cum Epidemicis frequentissimis, et maximè pestiferis; quibus rationibus aut arceantur, aut sanentur, quae corpore inciso appareant.

IX. *Aves*, sive herbivorae, sive carnivorae, sive insectivorae, sive piscivorae; cum usibus, et effectibus in vitam, describantur.

X. *Reptantium* genus, maxime Serpentes per se considerentur; veneficae omnes diligenter describendae erunt species, cum remediis ab incolis adhibitis, aliisque vulgatioribus auxiliis. Quodlibet ex Insectis, Vermibus, Zoophytis, ob effectus externos internosve in corpus medico notabiles referendum erit, cum characteribus, et idoneâ curatione.

XI.—Topographi quoque attentio *Piscibus* marium, lacuum, fluminum vicinorum; sive cartilagineis, sive osseis, habenda est, maximè esculentis, aut effectu in hominem aliquo notabili pollentibus. Quinetiam ex *Crustaceis* et *Molluscis* regione dicenda inventis, omnia quaecunque hominem more insueto afficiunt, considerari debent, cum ipsis effectibus, et curatione.

XII. Quamvis homo non ex toto herbivorus sit, cibo tamen utitur plerumque aut statim, aut aliquo deinde modo frugibus derivato. Summi ergo momenti erit, *Plantarum Indigenarum* cognitionem acquirere ut pro principiis suis maxime copiosis, farinaceo, acido, oleoso, mucoso, glutinoso, saccharino, ordinentur.

Plantae indigenae iterum in quatuor dividantur classes; nimirum,

1°, *Esculentas,* quibus recensitis adjiciendum erit quicquid de dotibus ac effectibus

uniuscujusque notabilioris didicerimus; atque de mutationibus fortè quas solum, coeli indoles, cultura, vel transplantatio ei induxerit.

2°, *Medicinales*, atque his enumerandis, dicendum est num qua singularis pharmacopeiam loci considerandi ineat, medicisve ejusdem, incolisve, empiricisve, adhiberi consueverit; qua ratione plantae illae colantur, praesertim si valde utiles sint. Super maris planum elevatio, solum quo crescunt, aspectum, odorem, florem, colorem historiamque, praeparationem, qua dose, effectus sanis ac laborantibus dicere oportebit. Pari ratione nomina scientifica plantarum singularum, exhibitio popularis, virtutes adscriptae, earumque varietates, a medico colligendae sunt.

3°, *Tertia classis plantas veneficas* comprehendit: harum si qua singularis visa, notas quibus ab aliis discernatur similibus, tradere opus erit. Solum quo increscit, annique

tempestas, qua floret, effectus in hominem vel animalia; remedia, demum vel antidota praebenda, accurate adjicienda. Venenorum naturam in usu apud nationes incultas ad imbuendas sagittas, colligendi, preparandique modum, eorum effectus et eos curandi morem, particulatim describere debemus.

4°, *Plantae vitae artibus, vel bestiis cicuribus pascendis utiles*, topographi attentionem postulant; atque eo magis quo valetudinem hominis plus respiciant. Quin et indigenae omnes *fruges*, cum conditionibus crescendi, maturandi, conservandi, describantur, si commercio utiles visae sint.

Nunc tempus monet morbos investigare plantarum vel frugum homini vel animalibus in alimentum servientium: quibus notis hi distinguantur, quae symptomata exhibeant; qua ratione optimè aut caveantur aut sanentur.

XIII.—Rerum scrutatori parum diligen-

ti multa superiorum, ex historia naturali, botanice, mineralogia quae animadverti jussimus in Topographia Medica, prorsus inutilia videantur; qui tamen multis morborum causis animum attenderint, tales nonnunquam aliter exponi non posse, quam rebus ejusmodi diligenter perspectis, noverunt.

XIV.—Quum ad *res meteorologicas* considerandas ventum erit, initium a dierum noctiumque longitudine, diversis anni tempestatibus, quantoque alia aliam regat, quot sudi, quot nubilosi, quot nubili, quot obscuri ex dato dierum spatio fuerint, fieri licebit. Barometri, nec minus Thermometri, status summus, imus, medius notandus est, pro singulis diebus, mensibus, annis. Neque calor aëris in sole negligendus; quum huic, magis quam umbratili, mortales plerique obnoxii sint. Pari ratione aëris humiditas ad diversas altitudines Hygrometri ope metienda est diversis anni tempestatibus, nec omittenda erit pluvii, nivis, grandinis, copia; nubilorum ac meteorum frequentia. Terrae

motuum, ac montium ardentium eruptionum tempora; quando exhalationes noxiae solo copiosissime ascendant, quanta tum sit evaporatio cum exhalationes maxime perniciosae evadunt.

XV. Si fieri potest, flatuum, ventorum, turbinum vis et tractus reperiendi; qua anni tempestate maximè valeant, qualia loca perflent; quomodo, in transitu per montes, per lacus, per arenas, per sylvas, mutentur; quae vis eorum sit ad calorem et humorem absorbendum, ad aëra purificandum vel inquinandum; quomodo incolarum sanitatem afficiant; sic, apud omnes fide dignas pestis historias constat, tempestatem diutinam, tranquillam, nubilam, obscuram, adventum ejus mali, antecessisse; itaque clarissimus Eques, G. BLANE,* morborum mitiores alios factos, alios prohibitos, a turbine subito intercedente, reperit.

---

* "Select Dissertations," p. 370.—Lond. 1822.

Tonitrua quoque memorari debent, cum aurae electricae tum aëra imbuentis indole, sive *positiva*, sive *negativa* : Effectus, si qui insigniores, addi debent ; hujusmodi tempestates succos vel infusa animalia, etiam ampullis vitreis bene obturatis inclusa acescere, cogunt.

XVI. Quinimo saeviente epidemico, aliove morbo, aëris conditio exploranda est ; atque si quid in eo insoliti reperiatur, quantitas ejus, ac si fieri possit, causa et origo, cum effectibus in sanitatem animalium, vel incrementum vegetabilium, vel demum in res inanimatas. Locus quo observata supra dicta notari debent, editior sit ; atque aequis intervallis illa observata fieri, iis saltem tempusculis medio aëris statui proximis, oportet.* Sed utcunque utilis videatur talibus in rebus accuratio, nequaquam obliviscendum est ea observata morborum origines

* Vide Leslie.—" Supplement to the Encyclopaedia Britannica,—Climate."

causasque semper respicere oportere: quoniam ut his curandis dirigantur, semper votum est.

CAPUT II.

XVII. Propositum est, Secundam Descriptionis Topographiae partem initium trahere debere a regionis hominumque cultu; cum notitia quadam de ortu atque progressu urbis, valetudinarii, castelli, castrorum vel aedium subjecta: cum altitudine, latitudine, longitudine, amplitudine; vicis praecipuis, fluviis, rivulis, stagnis, eorundemque situ, directione, quà soli, quà vento, quà mari pateant. Neque omittenda sunt fororum, ambulationum publicarum situs, natura, amplitudo.

XVIII. Ædificciorum materies unde structa sunt, forma, altitudo, constructio, vicinia; cum numero, prospectu, capacitate conclavium; quot incolae, qualis ventilatio singu-

lis; numerus, situs, amplitudo, aedificiorum publicorum, maxime crebra habitantium multitudine frequentium, diligenter exponi debent.

XIX. Summa utique diligentia circumspicienda sunt omnia ad valetudinaria, Infirmaria, Hospitia, Ptochodochia, Orphanotrophia, carcerem, ad aedes, demum, quibus multi mortales una congregantur quibusve febris vel morbi epidemici grassari possint, pertinentia. Modum talibus omnibus accommodatum tradituri, Valetudinarium quasi omnium instar, selegimus, compendii gratiâ scilicet, ne res investigatae saepius repetendae essent.

XX. Hujus descriptionem aggredi possumus, a situ, aspectu generali super maris planum elevatio, solo cui superstructum est, praesertim an id frigidum, sive humidum sit; an fossis subtus siccatum, ventisve singularibus objectum; ab omnibus demum rebus vicinis quae salubritatem hospitii affici-

ant, montibus, paludibus, fluviis, similibusque, incipientes.

XXI. Sequuntur delineatio generalis arearum, hortorum, agrorum, camporum, valetudinario adjacentium, earundem magnitudo, situs; tum ipsius valetudinarii constructio, amplitudo, altitudo, situs, aetas, materies; sive unae sive plures aedes conjunctae; conclavium unoquoque tabulatu numerus, forma, species, amplitudo, in pedibus solidis expressa; accessus, parietes, laquearia, fenestrarum ac portarum, focorum, numerus, magnitudo, situs, notandum est an laqueariium ornatus asperi, cavi, prominentesve sint, quales sordes ac contagionem attrahere et celare possint.

XXII. Observantur quoque per diversa tabulata ventilandi rationes, sive per meatus, inter columnas, fenestras, ostia effectae; pari ratione describitur quomodo conclavia ventilentur, fenestrarum, ostiorum positus; scilicet quae omnia eo conspirare debent,

ut aër calefactus ac vitiatus summum conclave peteret, novus densior ac frigidior per imam ejus partem succederet, nec tanto flamine ut aegris nocere possit.

XXIII. Lectorum numerus, forma, et ordinatio, positio quae pedibus pluribus ab omni pariete, solo aliove lecto distare debet, ne contagio humiditasve laederent, proximè memorandae. Tum stragula omnisque cubiculi supellex, latrinae sella, atque ejusmodi alia; quoties, quam bene quo apparatu cubicula purgentur; qua ratione eadem calefiant, et, si focorum ope, horum situs, fabrica, fumum bene expediant, an expedire quidem posse putentur.

XXIV. Diligentissimè verò notanda sunt morborum in nosocomium exceptorum genera, numerus, conditio praesens: pedum cubicorum numerus singulis aegris concessus, quâ ratione ipsi afferantur, dividantur, ordinentur; quibus demum cautelis opus sit, ad praecavendos vel reprimendos mor-

bos in valetudinario oriundos: si ex contagio hi orti sint quomodo illud praecavendum, detegendum.

XXV. Epidemicorum frequentia, periculum, aliorumve morborum diversis temporibus per proxima triennia valetudinarium infestantium, cum morbis olim vel oppidulis vicinis grassantium comparentur; causae atque prophylaxis annotentur. Talibus autem in calculis creandis cavendum ne quis error obrepat de aegris enumeratis; neve commentariis parum accuratis fallamur; quibus rebus neglectis, mortuorum numerus incertum tantummodo de medicorum peritia judicium praestare poterit.

XXVI. Mortuorum rationes annuae quanti sint habendae, nemo ignorat: quum vero eo utiliores futurae sint, quo plura cum annis superioribus comparanda praestent; optimae tum erunt cum accurate aetatem, sexum, temperamentum, questum mortui, causam mortis exhibent, necnon quot epi-

demicis extinctos, quaque aetate, qua urbis vel pagi regione quot quasque subitas mortes, quae puerorum, adultorum, ratio, quot ex liquorum destillatorum abusu mortes.

XXVII. Nunc secretiora valetudinarii commoda describenda; Latrinarum numerus, situs, accessus, amplitudo; lucis, aëris, aquae quantum accipiant; qua ratione sordes subduci, effluvia insalubria caveri soleant.

XXVIII. Nec Balnea negligere oportet; constructio, situs, amplitudo, natura, accessus; qua ratione calida aut frigida aqua, vapor, subministrentur, aut medicamina demum per haec eadem adhibita.

XXIX. Culina aut lavatrina valetudinario adjaceant, nunc Topographus notet; qualis et quanta sit aqua; qui cibi usurpati, quomodo praeparati, quomodo distributi, qua demum arte vires eorum nutrientes augere, ignis atque laboris compendium facere, coqui conentur.

XXX. Quomodo cadavera etiam curentur, qua fabrica eorum receptacula sint, qualia funera ac sepulchreta illis concedantur literis tradendum: similiter alia aedificia ad valetudinaria pertinentia, quorum forma, situs, usus id mereantur: quomodo cellae subterraneae se habeant, an madidae, male ventilatae, habitatae. Omnium demum valetudinarii partium aptitudo ad usum suum exponenda.

XXXI. Remedia aut auxilia casibus subitis, subitisve morbis adhibita, item aegrorum victus ordinarius et extraordinarius, leges de vino vinosisque ministrandis, medicamenta officinalia vel extemporalia, in valetudinario propinata cum formulis ad pondera mensurasque Britannicas reductis, omnes novae curationes, novae operationes chirurgicae, cum eventu, sive medicis sive circumforaneis institutae, memoriâ topographicâ dignissima sunt.

XXXII. Valetudinario si schola, vel mu-

saeum annexum fuerit, omnia inde inventa ad artem medicinalem augendam tendentia ut describantur oportet.

Topographus deinde ordine, ac probè narrabit quomodo, et quâ fide muneribus suis singuli medici, chirurgi, pharmacopolae, coactores fungantur, quis eorundem numerus, quae stipendia, quae rerum diaria in valetudinario servata. His propositis facile erit tabulam impensarum ejus, redditûsque annui, in unum conflare.

CAPUT III.

XXXIII. Nuptiae, nativitates, mortes accuratè comparatae perutiles sunt (XXVI.) quoniam ab iis, calculo subducto, numerus incolarum vivorum facile eruitur. Ratio masculorum ad foeminas natas quoque observanda est, variat enim diversis, ut dicitur regionibus orbis terrarum: aliis ut 17

ad 15, aliis ut 19 ad 15 ; aliis ratio pene inversa est, foemina superantè.

XXXIV. Medicus in habitantium ingenium nunc inquirat, in conditionem publicam ac civilem, in mores vel instituta singularia, maximè pagana, quae saepius opinione ad morbos arcendos spectant, per munditiam corporis, per exercitationem, per animi exhilarationem. Mulierum fecunditas, menstruorum tempora, initia, fines ; morbi demum proprii, corporis et animi mobilitas, affectus proclives, memorentur.

XXXV. Questus seu artes opificum, sexus, aetas, laboris duratio quotidiana ; vehementia, locus, vapores metallici aliive noxii quibus forte inter operam pateant ; calor opificii vel officinae similiter quaeruntur; cum signis inde exortis, arcendi, medendi, ratione.

XXXVI. Incolarum porro habitacula explorentur, necesse est : Prima, res ven-

tilatio est; tum munditia, sub quibus omnia utensilia vel supellex eo conferentia, cum vestitu, toralibus, tegminibus hominum simul adjiciuntur. Quandoquidem ignis a frigore, ab humore, pariter defendat, morbos arceat, materiei ejus copia memorari debet: neque ad aliud quam ad carbonum penuriam, *Buckingensium* exilitatem, militiae pene inhabilem, medici retulerunt.

XXXVII. In urbis administrationem, quam *Politiam Civilem* multi vocant, tum inquirendum. Viarum, platearum, angiportuum siccitas, puritas, illuminatio, pavimenti conditio; sordium tollendorum facilitas, cloacae; ex iis atque latrinis vapores molesti, quo loco, quo vento gravissimi, dicantur. Dicantur porro impuritates quas maris reciprocatio, fluviorum exundatio, pluvii infensi, venti quidam, attul erint; tales enim morbos gravissimos saepe excitare constat. (XV.)

XXXVIII. Sepulchretorum, laniena-

rum, fororum, opificiorum situs, exhalationes haud omittendae : hae enim saepe pestiferae.

XXXIX. Societates vel collegia, vel instituta ad pauperes alendos vel levandos, eorundemque efficacia, leges, opera, cibi quos egentibus distribuant, vagantium occupatio, labor, cum mercede, tradi debent: Quibus demum legibus vestium detritarum, liquorum ardentium officinae cohibeantur minime silendum.

XL. Addere quoque juvabit societates, gradus, vitae genera, ciborum indolem, copiam, frequentiam ; necnon adulterationem, coctionem, conservationem, effectus in corpore humano, condimenta, ne pro gulae voluptate, morbum inferant.

XLI. Hic locus est liquoribus quibus incolae utantur describendis. Quatuor vero in capita distribuas ; in *aquam*, *fermentata*, *vegetabilia infusa*, *alcoholica*, seu *destillata*.

1°, De aqua quaeri debet quae species ejus ad rem coquinariam, potumve usurpetur, origo, canales, receptacula; sive materiâ quâvis onusta, illiusque effectus in incolas advenas, animalia, cum curatione (V).

2°, Liquores fermentati; vinum, *pomaceum*, *pyraceum*, cerevisia, sive fortior, sive tenuior, sive amara; adulterationes, an plumbeo aliove noxio vase praeparati fuerint, quoque dicendi.

3°, Infusa ex vegetabilibus, ut *Thea*, *Caffea*, *Cocoa*, confecta.

4°, Liquores alcoholici, ex avena, saccharo, junipero, vino: vernaculè, *Whisky*, *Rum*, *Gin*, *Brandy*, &c.

XLII. Horum liquorum mediocri an nimia copia haustorum effectus, adulterationes, earumque mala, curatio, indicatio, dici debent. Alcoholicis quidem maximopere animadvertendum; utpote qui non tantum

corporis animique vires frangant, sed liberis quoque bibentium morbos traducere videantur.

XLIII. Tradenda porro sunt quaecunque incolarum *Habitum Physicum* aut *Moralem* explicare videntur; scilicet, morborum Endemicorum, Epidemicorum, Sporadicorum, regionis natura, varietas, frequentia: quâ anni tempestate saeviant, quo sexu, qua aetate, qua vitae conditione; cibus, labor, situs, qui proclives reddant. De Epidemicis, tempora, situs, omnia quidem diligenter circumspicienda;—de Sporadicis, causae memorandae qualescunque, resque progressui eorum faventes, ut victus, aliaque: neque negligendae sunt res ad medicinam juridicam pertinentes, ut morborum crises, ex vi corporum coelestium mutationes, &c. &c.—De Contagione quidem notanda erunt leges, indolesque ejus, propagatio, qua distantia inficiat, quamdiu latere consueverit, etiam in cadavere eorum morbis contagiosis extinctorum: effectus quoque munditiae, ventilationis

(XXII) aëris conditionum (quod ad calorem, frigus, humorem, aliaque) animi corporisve effectûum in illa propaganda; necnon chemicorum, ut gasis sulphurosi, acidi nitrosi, hydrochlorici, chlorici, acetici, in eâdem arcendâ, mitigandâ, diluendâ.

XLIV. Morbi Haereditarii locum proximum merentur cum optimâ cavendi aut medendi ratione. Nec simulati morbi, aut *traditionales* soli, silentio praetereundi; talibus vero aegri historiam, signa simulata vel tradita, connexio cum morbis, detectio. Sponte quoque decedentia mala, aut modo insolito mutata, sigillatim memorentur. Cognitio quoque morborum suorum, quam indigenae possident, causae imputatae probabilesve, prophylaxis, curatio, remedia apud populum decantata.

XLV. Quum commoda signorum recensio momenti maximi sit, hic modulus non sine usu erit, ut plerumque res omissa. In describendis hisce conandum est nobis

dare, claram brevemque rationem morborum omnium; signorum quoque singulorum peculiares partes, ut notari apparent. "L'Histoire graphique," ait Doctissimus PINEL, "pour offrir un tableau clair et facile à saisir, doit être dégagée de tout étalage d'erudition, de tout explication frivole, ou d'un vain appareil de formules de pharmacie; elle doit être réduite à ses moindres termes, c'est-a-dire ne présenter que les symptômes fondamentaux tracés en style aphoristique."* Status notaeque praesentes, causae, quantum innotuerint, sub primo medicorum adventu dare debent: 1mo, In aspectu exteriore mutationes ut sensibus indicentur, sensationes molestiae, affectionesque organicae partis; quae prout caput, thoracem, abdomenque afficiant, considerantur. 2do, Ægri historia antecedens, morbi causas excitantes praedisponentesque, impetus modum, notasque inde occurrentes, stadium quo signa characteristica videntur,

* Nosographie Philosophie, T. 1. Int. p. 8.—a Paris 1818.

remediaque utenda, includere debet. Postremo, remedia quae ad ejus curationem sunt danda. Morborum curatio in duas partes dividi potest; nimirum in causarum excitantium, vel effectuum quos in corpore adsint, remotionem; et in curam idoneam Prophylacticam: Sed, in morbis intermittentibus paroxysmum frangendi modum considerant, notasque molestias diminuendi; et, in paroxysmi intervallo, regressum ejus avertendi. "Une suite," inquit PINEL, "de l'art "d'observer les symptômes, c'est de faire un "tableau net et précis de leur ensemble et "de leur succession, c'est-à-dire du cours "entier d'une maladie individuelle quelcon-"que, sans rien omettre d'important sans "rien ajouter de superflu, et en cherchant "toujours à se rapprocher d'un modele idéal "qu'on ne pourra peut-être jamais attein-"dre."* Ad hoc tabula subjecta proponitur.

---

* Medicine Clinique, p. 387.—a Paris 1815.

TABULA MEDICA GENERALIS.

Sexus Ægri... ; Ætas... ; Temperamentum...... ; Occupatio... ; domus (ejusque situs et natura)...... ; victus (in quo vitae genus memorandum, quod ad pastum, potum, modum exercitationis, et causas alias attinet, sive ut remotae sive excitantes, ad morbos producendos, valent ; quales sunt animi affectus, frigus, calor, humor, aut similia).

Mensis Dies.	Morbi Phaenomena	Morbi Dies.	Temp. Aeris.	Directio venti.	Siccitas Aeris.	Ingesta Cibus & Potus.	Medicamentum Venenum.	Eventus.	Observationes.

XLVI. Consilia Topographiae ad sanitatem tuendam, morbos arcendos spectant; qualia sunt silvarum excisiones, paludum, stagnorum, putrescentium omnium ablatio; montium aequatio, siquando eorum diminutio loca salubriora reddiderit.

Aliàs vero aegros in aëra alienum removisse, morbos caeteroquin lethales aut arcebit, aut fugabit; summi ergò momenti erit coeli mutandi effectus in morbis, uti syphilide, pertussi, phthisi, cutis vitiis quibusdam levandis, diligenter annotare.

XLVII. Humanae in regione proposita vitae duratio solita, omnia insignis longaevitatis, omnia cladis ex morbo memorabilis exempla, cum hominum temperamento, temperantia, quaestu, ingenio, moribus, morbis prioribus, parentibus descensu, dici debent (XXVI.)

XLVIII. Medicorum regionis clariorum vitae, notiones, curationes, operationes sin-

gulares, et quibus morbis accommodàtae, ne circumforaneis quidem, nec "*aurae* eorum "*popularis*" origine ex toto omissis.

XLIX. Quibus autem legibus, cui tribunali aut foro medici ibi subjecti sunt, tradat Topographus, nec instituta singula, academias, societates, collegia, bibliothecas, musaea, seu repertoria negliget, uti suprà jam diximus.

Postremò, opere ad umbilicum jam vergenti, scriptorum optimorum de Topographia, praesertim medica, loci, compendium tradatur necesse est; maxime si de nosocomio aliquo, locive regione conscripta, morborum indolem propriorum illustrent.

Catalogus quoque omnium de rebus ejusmodi librorum, vel de singulis morbis, qualibus in commentario suo conscribendo auctor usus fuerit, opus coronet.

FINIS.